

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 24. (Neovidensis 1808. Nro. 22.)

*Secretum litterarum Commercio Vivos inter  
et vita functos*

Elysiam Meum. — Die Veneris. 8. April. 1808 (Neov. 21. Mart. 1808.)

*Joanni Libero Baroni a Görtz in Campis Elysiis.*

**N**ullo unquam tempore gravior causa fuit scribendi Svecico publico Ministro, quam hodierno, quo undiquaque Svecia periclitatur — omnia profecto, quæ Sveciam quomodo attinent, Dominationem tuam adficiunt, & tua intersunt; sed antequam his commemorandis manum admoveam, præmittendum habeo: quod Cel. Voltairius de D. V. scripserat; de quo certio rem te facere volui, quod si displicet, dignetur celebrem virum adprehendere, dignetur ab eo satisfactionem postulare, dignetur ab eo veniæ petitionem exigere; utique quotidie in campis Elysiis cum eo constitui debet, nisi is forte in Parnasso inter Musas confabularetur.

Nunquam vixit, ait is, vir tantæ facilitatis juxta, & temeritatis sub iisdem adjunctis, ac erat Görtzius; nunquam minister, cui tot salutis præsidia rebus in adversis suppetebant, atque adeo latepatentia consilia præsto erant, nunquam ullus mortalium tam

alaeris ad finem suum adipiscendum. Nulla ille consilii immanitate se absterri passus, nullum medium ei in effectum deducendi impossibile videbatur, munera, pollicitationes, asseverationes prodigebat, veritatem & mendacia, dummodo finem adjuvarent, juxta habebat. — Ut tibi hæc imago placet? est ea tua, quæso, placeat D. Voltairium ea propter in jus vocare, & ei diem dicere.

*Jam ad res Sveciæ.*

Invia est politica, qua hodiernus rex Sveciæ in bello anno superiore gesto usus est. Initio nulli politico cum Borussia nexui implicatus videbatur, argumento: vetere adhuc ægritudine in Borussiam lazum esse, ad quam sedandam Borussia nihil legit, proin nihil etiam intuitu Politica præparatum habuit; post proelium Jenense dispersas Borus. copias in suam Pomeraniam non recepit, speciem neutralitatis adoptare visus, cum repente, exacto proelio Eylaviensi pauca Sveciæ copiarum contra obidentes eorum Dantisum Gallos progressæ quidem, sed tamen & repulsæ sunt, quæ agendi ratio hostilem Svecorum in Galliam animum probavit — hoc facto Pomerania Svecica a Gallis hostiliter tractata, atque occupata est; at post pacem Tilsitensem Svecorum Angorum secutus partem, cum iis tractatum subsidionalem iniit, omnemque accessum reliquis Europæis Statibus adversus Angliam denegavit. Russia omnem dedit operam eum per tractationes a fœdere, & nexu Anglicano avocandi, at inuito successu, no-

vissimum ejus responsum fuit: se eo rem deducturum: ut nulla Anglicana Classis Mare Balthicum subeat, si in suis possessionibus absque impetitione relictus fuerit.

Post multas irritas Tractationes, tandem Imperator Russiæ sequentem edidit declarationem:

„Imperator, audita violentia, qua Anglia adversus Daniam indulgebat, omni jure, & suo animi characteri convenienter, salutique Imperii sui semper intentus, Regi M. Britanniæ significavit: se propudiosæ huic agendi rationi, inauditæ huic rapinæ nullatenus indifferentem animum exhibere posse, qua Anglia in Regem, cognatum, amicum suum, & veterem Russiæ fœderatum indulisit.

Hoc decretum Sua Majestas Regi Sveciæ communicavit, in adnotatione, quæ die 24. Sept. p. a. ejus legato tradita est.

Tractatus Anno 1780 inter Imperatricem Catharinam, & Gustavum hujus nominis III initus, alter: Anno 1808 inter Imp. Paulum, & hodie regnantem Regem; mutuum solennem obligationem continebat: principium conservandi: ut mare Balthicum clausum mare permaneat, hocque mare, ejusque oræ ab omnibus hostilitatibus, & violentiis defendantur, eumque in finem omnia in sua potestate sita media adhibeantur. Dum hos Tractatus Sua Majestas animo expenderet, non modo sibi licere, sed obligatam quoque se existimabat, ad cooperationem Sveciæ cum Anglia reclamandum.

Rex adductas obligationes neququam contravertebat, at denegabat cooperationem usque quo Gallicanæ copię ora Balthici maris non decesserint, portusque Germaniæ Anglicano commercio non patuerint.

Isthinc consequebatur: patratam ab Anglia violentiam, quam universa Europa execrabatur, eum suppressere; Imperator ab Svecorum Rege Tractatui convenientem cooperationem postulabat, & in vicem cujusvis responsi hic princeps ei proposuit: executionem hujus Tractatus in aliud tempus prorogaret, de præsentis in id conatus impenderet: ut Angliæ commercium omnium Germaniæ portuum procuraret, in Summa: ipsi illi Statui opem operamque præstaret adversus quem defensionis media suscipienda erant — arduum proin est partium studium regis Sveciæ in Angliam argumentis probare, quam ipse probavit, fortioribus.

Sua Maj. sub 16. Nov. alteram adnotationem edendam curavit, qua in memoriam regi revocatur: memoratam Majestatem amicitiam cum Anglia rupisse, atque de novo regis cooperationem flagitare.

Hæc adnotatio duobus ferme mensibus silentio premebatur, quæ tandem 9. Januarii ministro Sux Cæsareæ Majestatis tradita exhibitaque, ejusdem cum priore argumenti fuit.

Loege alienus ab objectionibus super moderatione sua faciendis potius voluptati sibi ducit Imperator: se omnia, quæ locum habere poterant, media exhausisse, ad Sveci-

eam Majestatem ad unicum ditionibus suis accomodum Systema permovendam; at denique Imperator subditis suis, prout & Saluti Imperii sui debet, quæ Suprema lex est, ut cooperationem Sveciæ cum Dania & Russia adversus Angliam non amplius ut indecisam quæstionem relinquat.

Imperator certior redditus est: Secretum Conclave Londinense Daniam terrore denuo suo systemate conjungere adisum, minatumque esse: Regem Sveciæ copias in Selandiam expediturum, in cujus vicem Norvegiæ possessio ei promissa, additaque est.

Cum porro Imperator intellexisset: Regem medio temporis, quo respondere intermittebat, fœdus Londini tractare, Sua Maj. perspexit Salutem Imperii sui parum tutam esse, si, collisione Angliam inter & Russiam orta, Sveciæ Rex, vicinus ditionibus Russicis, sub colore neutralitatis, cogitandi rationes suas notæ in Angliam propensionis, aliquanto tempore velare vellet. Sua Cæsarea Maj. adjuncta Sveciæ respectu Russiæ nequaquam indefinita relinquere potest consequenter ejus Neutralitatem admittere nequit.

Quoniam Regis dispositiones clare probatæ sunt, Suæ Maj. nihil ultra reliquum manet, quam confestim quævis media adprehendere, quæ a divina providentia sibi concessa sunt, ad salutem Imperii sui conservandam, & hoc ipsum est, quod Eadem Regi, totique Europæ palam reddit.

Interea dum Imperator obligationes quas ei Salus crediti sibi Imperii imponit, exequitur, paratus ultro est, inounda media in agendi rationem prudentem convertendi, si Rex e vestigio Russiæ & Daniæ adjungendi voluntatem habet, ad Mare Balthicum usque maritimam pacem Anglis præcludendum. Ipse invitatus, & ratione quidem intensæ amicitiae, Regem, Affinem suum, provocat, ne ulterius moras necere, obligationibusque suis deesse pergat; Systemaque amplecti non desistat, quod emolumento borealium Statuum magis accommodum est.

Cæterum : quod Svecia emolumentum tulit, ex quo rationibus Angliæ dedita est? Nihil Imperatori luctuosius accideret, quam Sveciam cum Russia dissentientem intelligere, & adhuc a Svecica Maj. pendet, partem, sed e vestigio sequi, quæ utrumque Statum arctofœdere, atque in plena concordia posset conservare. Datum Petropoli die 10. Febr. 1808.

Mox ab edito hoc Edicto Russi ad urbem Abo Finniæ, citra magnam resistantiam progrediebantur; Svecicus Petropoli residens legatus D. ab Alopeus Junior, Holmæ in carcerem redactus, ejusque Archiva Sigillo adfecta, omnes exteri legati, ipse Anglicanus, ejusdem dimissionem, at incassum, sollicitabant; de præsententi fertur: Svecicam ad Aboensem portum consistentem circulatoriam Classem, adpropinquantibus Russorum legionibus, a Svecis concrematam esse, quod eam ob glaciem promovere non potuerint.

Rex Svecorum pertinaciam belligerandi situi Regni sui superstruit ; 1) quod Russi ex Abo per Insulam Alandiam Holmiam pervenire nequeant, cum viribus maritimis præstet; 2) quod Russi viam ex Abo per Bothniam orientalem paludibus refertam, per Laponiam usque Westermanliam progredi non possint, proin nihil ab iis pertimescendum habeat. 3) sibi amplissimam patere viam in immunitam Norvegiam ad eam occupandam; denique 5) Anglicanas Classes per Fretum Sundicum Mare Balticum subituras, hostesque Sveciæ ferro & flamma impetituras.

Verum enim vero; ut domum se res habebit: cum Gallic. copiæ per Fretum Sundicum Scaniam petituræ, atque ex hac parte Sveciam adorituræ? hic transitus est adumbratio illius, quod Caletanum fretum, Caletum inter & Doveram est — fortassis serviet experimento in parvo, ad tentamen aliquando in majori suscipiendum.

Rumor: quasi tumultus in Svecia sub auspiciis Caroli Sudermanlandiæ Ducis erupisset — confirmatione eget, Ita se res de præsentibus in Svecia habent, Illustris Baro Götz! dignetur eas Carolo XII. fautori suo narrare, & quis ejus sit de iis sensus, nobis perscribere.

*Adhuc quædam nova Politica.*

Status Europæi, si personificentur, mutant prout singulares homines, adpetitum ita illi tendentiam, rationemque sentiendi. Svecia cum primis erat, quæ Theocratiam universalem in Europa turbaverat; & hodie illa rea-

pe est, quæ universalem mercantilem gratiam conservare adnititur. Per fœdus cum Anglia Svecia cum omnibus Continentis Statibus hostili in ratione constituitur; at non omnes æque eam attingere possunt. Vicini Status sunt Hollandia, Dania, urbes Hansiaticæ, Borussia, & Russia. Dania & Russia de præsentis bello cum Svecia involutæ sunt, quibus accessit & Borussia, Edicto solenni de 6. Martii.

### B I O G R A P H I A.

*Joannes Baro a Götz.* Ex Holsatia alacritate animi sui, temeritateque Carolo XII Svecorum Regi præprimis se carum reddidit; quod hic celebris princeps in medio exercitus & acie, hoc Baro hic in Secreto Conclavi fuit. Ob temerarias in Saxonia & Hollandia tractationes carceri mancipatus, ex eo elapsus est. Angliam in favorem Prætendentis ad seditionem concitare, & universam Europam bello involvere adnitus; rem ærariam Sveciæ moderatus, media perniciose adprehendere coactus ut molimina Alexandri Borrealis (hoc nomine rex compellebatur) fulcire & adjuvare possit.

Post obitum Carolo XII. audax minister comprehensus, & ad placandam plebem, ad mortem damnatus, capiteque plexus die 2. Marti 1719. hoc modo perit postremus vir heroicorum Sveciæ temporum, seu ultima reliquia herois, qui, favente fortuna, arma audacter circumtulit, & provinciarum iacturam tulit.